

simo Ejusdem beneplacito Obligationem recipit. In reliquo si noster quoque hanc in rem Consensus desideratur, non est, quod cunctemur; interea tamen quia media et Auctionaria Tricesima de Lege Regni nobis adjecta est, futurum indubie speramus, ne in hoc quoque incidenti Cassa Regni Publica detrimenti quid pati cogatur.

Quod proinde unice fieri a Nobis in hoc, quem deduximus, rerum statu potest, id hac ratione jam praestitimus; nihilominus si res in eo quoque vertitur, ut licet nullus Nobis, quem obligationi subicere possimus, suppetat fundus, nostrum tamen ad levandos 10 Milliones consensum praebeamus; pro Constante Nostro benignas Majestatis Vestrae Intentiones secundandi Studio demisse omnino annuimus, ut si Creditores Satis sibi prospectum fore judicaverint, si Nos vel alienum, nostraeque Administrationi haud subjacentem, vel domesticum quidem Contributionalem, hactenus tamen alijs obnoxium, praeter proprium Majestatis Vestrae in Superioribus Commemoratum fundum obligaverimus, desiderati decem Milliones mutuo levare possint; illud tamen Majestatem Vestram de genu supplices exoramus, dignetur eam hac in re constituere rationem, ne sive Manipulatio Consilij Regij Locumtenentialis Banali Auctoritati quicquam praejudicet, sive Nos ullam novam hac ratione attraxisse Obligationem per Creditores Subsummamur, verum hoc etiam facto nihil, juxta Benignam Majestatis Vestrae declarationem, de Sacris Regni legibus detrahatur, nullam cum propriarum Facultatum periculo Cautionem assumpsisse videamur, denique ex novo hocce incidente ad mentem Articulorum 3. 1715, et 8. 1741. nulla siue oneris fundo inhaesio, sive Cautio pro conventa Contributione quavis ratione inferatur.

Homagiale hanc Benignis Majestatis Vestrae Intentionibus Cooperandi promptitudinem Nostram dignetur Majestas Vestra ita clementer suscipere, ut Calamitati Nostrae, ad majora quaeque praestanda minus sufficienti clementer compati, subditaletamen devotionem Nostram Caesareo-Regia prosequi dignetur gratia et clementia, cui dum Nos, Patriam, Juraque et Immunitates profunda in subjectione Commendamus, una perenni in fide et fidelitate emorimur.

Articulus Quartus.

Dominus Medicus Michael Zappolati in Indigenam Regni recipitur.

Habita insignium Clarissimi Domini Michaelis Zappolati, Medicinae Doctoris, in hoc Regno jam a Triennio praestitorum Servitiorum, exindeque sibi comparatorum Meritorum ratione; uti et Stabiliti ejusdem, tam per Stipendium Venerabilis Capituli, quam et Matrimonium cum Nobili Patriae filia initum in Regno hocce domicilii reflexione: Domini Status et Ordines eundem Dominum Medicum in Regni hujus Indigenam receperunt, firmiter sperantes, eundem hoc modo receptum et ingremiatum, bonum semper Patriae Civem, quemadmodum solenne eatenus et legale in publico nuncupavit Sacramentum, futurum.

Originale in Archivo Regni Croatiae.